

**DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
ARTEM FORMULAS
CONCINNANDI,**

qua m
consensu et auctoritate
Magnifici Domini Praesidis et Directoris

Spectabilis ac Perillustris Domini Decani

nec non
Clarissimorum DD. Professorum

pro

Doctoris Medicinae Laurea

rite obtinenda

in alma ac celeberrima

Regia Scientiarum Universitate Hungarica
publicae disquisitioni

submittit

LAZARUS PLOHN,

Galicianus Ulanowiensis,
Artis obstetriciae Magister.



*In Theses adnexas disputabitur in Universitatis Palatio
majori die mensis Maii 1833.*

Pesthini,
typis Josephi Beimel.

Seinem vielgeliebten Bruder
C A R L P L O H N,

Lehrer der polnischen Sprache

an der

vom verdienstvollen
Herrn Director Joseph Perl
gestifteten isr. Hauptschule

zu

Tarnopol,
widmet diese Blätter

aus

Brüderlicher Zuneigung

der
Verfasser.

Bracie!

*Milosc braterska natura w sercu wpoila,
Milosc braterska pamiatke nie wymaga;
By Ci zas milsza ksiazeczka ta byla
Składa ten wierszek chec i powaga.*

P r o o e m i u m.

Offero tibi, benevole Lector, pro Dissertatione inaugurali, artem concinnandi formulas, quam ex scriptis sub praelectionibus immortalis nostri Professoris C. Ph. Hartmann excerpti; scripta haec paulisper dilatavi, atque in ordinem scopo meo adaequatum reduxi. Voluntas quidem aderat huic, qua parti theoreticae, formulas complures a celeberrimis concinnatas, propositas, et compositas viris, quas per decursum Medicinae studiorum, praeprimis sub clinices accessu mihi persaepe diligenter adnotavi, ut alteram hujus tractatus partem practicam adjungere; ast vetant osium exiguum, resque domesticae severae, volumen nimis augendum; nec non circumstantiae quaedam, quae et aliud thema eligere et elaborare non concedunt.

Hanc ob rem quoque unam solumodo cui-libet speciei adjunxi formulam; exempli illu-strandi gratia, addendo nomen celebre hujus formulae auctoris.

Puto, si spes non fallit, opusculo hocce Collegis meis praecipue illis, qui in theoretica schola adhuc detinentur, rem haud inutilem praestitisse; scopus enim meus semper idem, cum desiderio fervido, ut prosim; quodsi consecutus fuero, exultabit animus votisque ac-quiescat. Vale et fave.

Dabam Pestini 15. mensis Maii 1833.

Auctor.

Ars concinnandi formulas.

§. 1.

Institutio scripta a Medico ad Pharmacopaeum directa, qua hicce de Medicamenti (a Medico) praescripti, quantitate, qualitate et praeparationis modo edocetur, formula medica audit seu praescriptio germ: Recept; franc: formule; angl. prescription.

Illa autem medicinae pars, quae regulas docet, secundum quas, formulae arti medicae et pharmaceuticae respondentes, concinnandae, et conscribendae sunt: ars, seu methodus formulas medicas concinnandi, vulgo ars receptaria (Receptirkunst), formulare (Formularlehre) vel (a J. J. Plenk) Pharmacocatagraphologia vocatur.

§. 2.

Ars haec, Medicinae totius quasi flos est; supponit enim cognitum et morbum et modum illum tractandi et medicamentum, nec non illius ad morbum et aegri rationes. In arco tamen cum Pharmacologia et Pharma cia versatur nexus, nec absque harum subsidio cum fructu potest exerceri.

Arte hac spoliatus, quamvis ceterae medicinae gna rus, quamvis morbi medendi methodo, et remedii indicati cognitionibus instructus, nunquam tamen pleno cum effectu in aegri salutem operabitur Medicus; quum medicamen selectum, nec rite praeparatum, nec dosi,

nec forma morbo aegroque convenienter praescribere noverit. Hinc et medicinae utilitatem, et famam propriam discrimini committit. Ex dictis: necessitas, utilitas, dignitasque patet.

§. 3.

Ob conspectum meliorem dividimus artem receptariam in generalem, quae regulas et admonitiones generales exponit, et specialem, docentem proprietates speciatim cuilibet formae proprias.

Pars generalis.

§. 4.

Formulae vario respectu divisae, sunt:

- a) Formulae officinales, quae a dispensatoriis praescribuntur, et secundum quas Pharmacopaeus praeparata simplicia et composita in usum quotidianum adservanda parat. e. g. Pulvis Doveri;
- b) Formulae magistrales s. extemporaneae, quae ab ipso Medico (qua formulae Magistro) in casu quolibet singulari ad praesentem indicationem concinnantur;
- c) Formulae simplices, quae ex uno medicamine constant;
- d) Formulae compositae quae plura Pharmaca in unum conjungere praecipiunt;
- e) Formulae internae, quae praescripta tenent pharmaca ore assumenda et ad ventriculum deferenda;
- f) Formulae externae medicamenta continent, quae cuti aut cavo alicui applicantur.

Regulae a Medico, qua tali, observandae.

§. 5.

Priusquam Medicus ad formulam scribendam adgreditur, ad duo semper objecta animum advertat: ad medicamentum ipsum, et ad formam, in quam redigendum censem.

Respectu medicaminis seligendi princeps norma ubique sequens sit: Medicus praescribat medicamentum necessarium, optimum, efficax, tutum aegri idiosyncrasiae, et ubi licet illius etiam gustui, nec non rebus domesticis adcommo- datum.

§. 6.

Medicus in omni casu pharmacon praescribat necessarium, abstineatque a superfluis; ubi tamen morbi diagnosis nondum satis firmata, ubi praeterea morbus, gradus levioris autocratiae naturae absque ullo periculo comittendus, aegri votis ut satisfecisse videatur, medicus prudens exceptionem ab hac regula faciat, ordinans remedium indolis minus efficacis, indiffer- entis.

§. 7.

Optimum erit medicamen, quod relate ad morbum indicationi praesenti omni ex parte respondet, ac in semet ipso consideratum nec corruptum, nec adulteratum est; hac de causa praestat indigenum exoticum praeferre, si eadem utrique virtus inest; habenda quoque est ratio famae fideique, Pharmacopaei a quo petuntur.

§. 8.

Quod de remedii efficacia certus sit oporteat reapse liquet; hinc nec rarissima, quorum virtus per experimenta plura haud satis confirmata sunt pharmaca, nec obsoleta, a longo tempore extra usum posita eligat Medicus, si talia praesto sunt, quorum indoles medica usu confirmata sunt quotidiano.

§. 9.

Tutum dici meretur medicamentum, quod effectum nec nimis parvum, nec effroenem edit, cuius itaque usu nec tempus rebus inutilibus terminus, nec aegro emolumenti loco incommoda, et pericula nova paramus; hinc ubi eidem indicationi mitiora et fortiora praesto sunt remedia, nec periculum in mora, semper ab illis incipiendum, et nisi sufficient, caute ad haec transeundum erit.

§. 10.

Quodsi medicus per haec omnia medicamentum electum indicationi, et morbo adaptaverit, illud quoque aegro, et conditionibus, sub quibus nunc versatur, adcommode debet; respiciat itaque ad aegri idiosyncrasiam; sunt enim, qui medicamentum pro omni alio bonum, efficax, et tutum, ex singulari idiosyncrasia non ferunt, quamvis et hic imaginatio et praecpta opinio multum faciunt. Bene versatus Medicus huic falsae opinioni, mutatione formae, additamento, aut etiam synonymo inconsueto electo v. g. loco calomelanos aquila alba, prudenter effugiet.

§. 11.

Si homines delicatos, feminas et infantes tractamus, gustui, olfactui, et nonunquam visui indulgendum erit; magna enim cum nausea ingestum medicamen, aut aegro violenter obtrusum, quamquam optimum, effectum salutarem raro edit.

§. 12.

Rei familiaris quoque aegrorum in eligendis medicamentis maxima habenda est ratio, et pauperi ex duobus remediis ejusdem virtutis illud semper exhibendum, quod minori constat pretio, talemque formam, ubi licet eligendam, ne aegrum nimio medicamenti pretio a continuato illorum usu absterreamus, vel paupertatem familiae ageamus.

§. 13.

Quod attinet formam in quam Pharmacopaeus medicamina juxta praecepta et regulas Dispensatorii et Medicorum magistraliter praescribentium redigenda habet, haec ad genera tria reduci potest; cuilibet juxta cohaesionis gradum subdivisiones adnectendo.

I. Corpora solida.

a) Solido — pulverulenta:

1. Pulvis (Pulver) interne et externe

α . adspergo (Streus oder Einstreupulver)

β . pulv. dentifricius (Zahnp.)

γ . — sternutatorius (Niesep.)

δ . — ad oculos s. collyrium siccum (Augenp.)

ϵ . — ad odorem s. fumalis (Riehp. Räucherp.)

ζ . — corrodens (Metzpusver).

2. Eloeosacchara (Dehzucker.)

3. Farina (Mehl).

b) solido-rudia. Species ad theam, ptisanam, ad usum varium externum.

c) solido sicca. Trochisci (Zelte) : morsuli seu electuarium siccum (Morsellen); rotulae (Sternkügelchen); bacilli (Stängelchen).

d) ex molli solidescientia : Pilulae (Pillen); bolus (Bissen); pastae (Pastillen); sponges (Seifen); emplastrum (Pflaster); ceratum (Dehwachs); suppositorium seu canulla (Stuhlzäpfchen); cereoli (Erweiterungszäpfchen).

III. Mollia.

Electuarium (Latwerg); Gelatina (Gallerte); Unguentum (Salbe); ophthalmicum (Augensalbe); Cataplasma (Umschlag Breyumschlag), coctum et crudum; sinapismus. (Senfumschlag).

III. Fluida.

A. Fluida guttantia.

1. Infusum (Aufguß) frig. ferv. aq. vinorum;

2. Decoctum seu apozema (Abkochung) ptisana; decocto-infusum; infuso-decoctum;

3. Solutio (Auflösung);

4. Mixtura (Mirtur) a) Julapium b) Mixtura media c) contracta vel concentrata aut a) haustus (Tränkchen) β Julapium, (Julep) γ elixirium.

5. Tinctura (Tinktur) et Guttae (Tropfen);

6. Emulsum (Emulsion) a. verum (Saamenmilch), b. spurium (Dehlmilch, unähnle).

7. Linctus (Lecksaft);

8. Succi herbarum recentes (frische ausgepreßte Kräuterfäfte);
 9. Serum lactis (Molké);
 10. Linimentum (Einreibung);
 11. Balnea (Bäder);
 12. Clyisma atque injectiones.
- B. Fluida elastica seu expansibilia.
- a) vaporosa;
 - b) aërea seu gasiformia.

Nota. In pertractandis singulis speciebus eum seculuri sumus ordinem, ut primo medicamenta interna expohemus dein externa; formulae (ob spatum) parcae quidem, semper a viris clarissimis propositae, adponuntur.

§. 14.

Quae a medico nunquam magistraliter praescribuntur, neque recenter parantur, sed in Pharmacoplio utut medicamina jam praeparata adesse debent sequentia sunt:

Syrupus; aqua destillata; spiritus; tinctura; oleum aethereum; oleum pingue; extracta; morsuli; pasta; gelatina; sapo.

§. 15.

Praeter medicamentum et formam (§. 5.) respectum habeat Medicus necesse est, in aetatem, sexum, temperamentum, respiciatque semper dosin congruam; quum vero momenta haec in libro scholastico satis explicata sint; ab ulteriori horum explicatione superflua abstinemus.

De partibus, quae omnem formulam constituant

§. 16.

Veteres medici cuilibet formulae quinque tribuerunt requisita:

1. Inscriptionem 2. initium seu praepositionem 3. designationem materiae 4. subscriptionem et 5. signaturam.

Harum partium ulteriores tantum tres essentiales.

- I. Inscriptio. (Aufschrift) nisi signum arbitrarium est uti $\alpha.$ et $\omega.$, signum \times vel $\#$ vel C. D = (cum Deo) chirurgorum a. D = (absente Doctore); Recentiores huius substituunt Djem mensis; si vero in eadem charta plures scribuntur formulae, a se invicem numeris interpositis melius distinguuntur.
- II. Initium formulae seu praepositio (Anfang) est vocabulum recipe consuetim per litteram R. vel Rp. exprimitur.
- III. Designatio materiae (Mittelbestimmung) est pars formulae maximi momenti exprimens quid et quantum (dosin) Pharmacopoeus ad medicamentum praescriptum recipere debeat; determinantur enim 1-o pharmacon desideratum, 2-o forma, quam jam ante ingressum in praesentem formulam haberet debet, et 3-o quantitas ingredientis singuli.
- IV. Subscriptio (Unterschrift, besser Buschrift) docet Pharmacopoeum, quenam praeparationes medicamentorum in formula designatorum instituenda sint, ut formam a Medico desideratam accipiant, ac ad usum apta reddantur.
- V. Signatura (Signatur, Gebrauchs=Anweisung) exprimit normam a Pharmacopoeo medicamento pra-

parato per litteras (plerumque lingua aegro vernacula) scriptas, additam, secundum quam medicamen designatum ab aegro usurpandum est.

§. 17.

In designatione, sit medicamen crudum aut praeparatum, existens jam, aut jussu faciendum; quantitas ubique seu dosis exactissime, et quousque licet pondere aut numero definienda est. Si medicamenta plura designationem ingrediuntur, suo cuilibet linea propria tribuenda.

§. 18.

Subscriptio saepe exigit varias operationes pharmaceuticas, per quas medicamentum totum in formas desideratas redigitur, ut usui, cui destinatum est, adaptetur; ejusmodi praeparationis modi sunt in pulvere, v. g. rasura (Raspeln) limatura (Feilen) contusio (Stosken) concisio (Zerschneiden) trituratio (Reiben) colatio per cribrum (Durchsteben) confectio (Mischen) elutriatio (Schleimmen) in reliquis v. g. fiat massa pilularum, electuarii, boli, coctio, malaxatio etc. quarum quaelibet forma, sua exigit verba e. g. concis. contus. f. m. pilul. etc. quae in parte speciali fusius describentur. Vas quoque seu receptaculum quo medicamen excipendum; quandoque et obturamentis adductis, hic adcurate determinandum v. c. detur ad vitrum bene clausum, charta nigra obvolutum.

§. 19.

Signatura docet aegrum, vel et opem ferentes, medicamenti indolem et applicandi rationem, dosis scilicet singulam, tempus applicationis, hinc inde ve-

hiculum quo medicamen excipiendum, porrigidumque, nec non caloris gradum, quo instructum esse debet. — Dosin singulam seu specialem determinamus per mensuram aegrotanti notam, v. g. per cochlearia magna seu cibaria, parva seu coffeana; vascula, semivascula coffeana, per guttas, per magnitudinem nucis juglandis, avellanae, fabae, pisi, numi alicujus, aut quantum cultri apice, pollice et indice, aut tribus digitis comprehenditur etc. Medicamenti naturam et virtutem non ubique in signature exprimere necesse est, subinde nec licet, quam nimirum non nullis aegris celare oportet. Incipit signature cum vocabulo signa vel signetur, = s. quod deinde norma ad applicationis in lingua (uti prius dictum) aegri vernacula sequitur; hinc inde praestat aegrum aut adstantes opem aegrotanti ferentes medicamenti usum viva voce edocere, quo in casu omnis signature, qua superflua omittitur, cuius locum explat. sig. secundum institutionem (Nach Bericht).

§. 20.

Integralm formulam justo ordine, distincte, breviter, et orthographice scribendam esse per se liquet. — Ad servandum ordinem Medicus pharmaca respectu formae externae, ponderis, aut virtutis internae sibi invicem subjungat, ea quae præparationem præcedentem exigunt, reliquis præmittat, in casu ubi nihil aliud observandum est, medicamina juxta dignitatem collocet, necesse est.

§. 21.

Ut perspicua sit formula, requiritur illam litteris bene exaratis scribere, et a signis quondam usi-

tatis, cum his commutatio atque confusio periculosa facile inducatur, abstinere; attamen ubi Medici interest medicamentum ipsi aegro vel domesticis celare, licet, hinc inde signis istis distinctissime expressis, uti! In hunc finem, et ad intelligenda veterum scripta summe necesse est signorum clara cognitio.

§. 22.

Brevitas vetat superfluum scribere; et idem verbum saepius repetere, hinc si in eadem formula recurrent verba reiteranda, haec Medicus ita disponit: ut verbum semel scriptum per ipsius scriptionis ordinem ad reliqua referat; hinc si plures radices pulveres, flores . . . formulam ingrediuntur, vocabulum radicis . . . in prima tantum linea scribitur, in sequentibus omittitur, et illius locum signum reticentiae (Gedankenstrich, Pausa) simplex vel duplex = ponitur; eadem ratione si plura pharmaca eadem quantitate ordinentur, non additur singulo pondus, sed ad finem omnium monetur, cuncta pondere aequali dispensanda esse, quod vocabulo graeco ανα = aa. latine singulorum vel singularum = sing. exprimitur.

§. 23.

Hunc in finem haud superfluum censeo abbreviations usitatissimas ubique et in pagellis quoque hisce obviam occurrentes breviter adnotare. sem. = semis, dimidium, gr = granum, col = colatura, gtt = gutta, d = div = divide, s. a. = secundum artem, l. a. = lege artis, q. l. = quantum lubet, q. pl. = quantum placet, q. s. = quantum satis vel sufficit, c. c. = concisa, contusa, m. f = misce fiat, D. S = da signa,

M. D. S. = Misceantur dentur signentur, s. n. s = signa nomine suo. Reliqua quilibet facile eruet.

Cavendum tamen est, ne brevitas perspicuitatem laedat, et ubicunque confusio periculosa timenda, omnia verbis completis indicanda sunt.

§. 24.

Quod formula orthographice scribenda sit, suapte sequitur; Medicus enim non solum in arte sua versatus, sed ob studia sua perlonga et vastissima, omnibus scientiis, artibusque his succurrentibus imbutus sit oportet.

Quoad nomenclaturam monendum est, ut aequalem in formula observet; neque novam veteris usitatae aut vice versa commisceat, et in qua suscepit opus, in eadem ad finem sibimet artique congruum peragat.

De formula composita.

§. 25.

Formula audit composita, quae remedia plura in unam formam congregienda, continet. Haec, rationem nempe medicamentorum ipsorum habens, quatuor habet partes: quae sunt: basis, adjuvans, corrigens, constituens; Interim illi quoque compositae nomen imponitur, quae duas solum harum partium continent.

I. Basis (Hauptmittel, Grundlage) est remedium formulae principale, Medici indicationi, nec non attentioni quam maxime respondens, estque vel simplex, vel composita.

II Adjuvans (Mithelfendes, Unterstützungsmittel) remedium sistit, quod basi additum hujus in organis

num efficaciam auget, aut securius reddit, quodve dupli ex respectu considerari potest; pronti nimirum medicamenti principalis vim aut organismi receptivitatem pro eodem adaugere, nititur. Huic fini v. g. addimus infuso sennae, sales medios; marti cinnamomum etc. In casu vero ubi basis perspicaciter electa soli indicationi sufficit, pharmacon adjuvans absque hiatu, aut peccato omitti potest.

III. Corrigens (Verbesserungsmittel) nominatur medicamen, quo effectus laterales, noxios vel ingratos per aliorum qualitates inductos emendare studemus. Noxias medicamentorum qualitates pro illorum diversitate variis remediis corrigere possumus. Sic medicamini digestionis organa nimis debilitanti, vel flatui, torminibus faventi, aromatico et spirituosa addimus; acribus mucilaginosa etc. Ingratas dotes, quae per insensibiles impressiones utut colorem, odorem, saporem, formam sese manifestant optime nonnunquam sub formula congrua abscondimus, si dulcibus, odoriferis, laete colorantibus . . . non emendantur. Cavendum tamen, ne nimis solliciti in corrigendis formis externis ipsa pharaci interna virtus detrimentum capiat.

Remedia efficacissima nullo plerumque indigent corrigente, nisi usu recto.

IV Constituens, Vehiculum (Gestaltgebendes Bindemittel) est maxime indifferens corpus, quo ingredientia in certam formam rediguntur, nec chemicis, nec aliis viribus polleat, oportet, ne indeles medicamenti, indicationi summe consentanea, destruatur.

§. 26.

Inter partes has constituentes ordo et justa proportionio adesse debet; primum dictat forma, quam medicamen compositum accipit, et praeparationis necessariae ratio; alteram determinat *a.* efficacia constituentis singuli, *b.* relatio illorum chemica et *c.* relatio mutua, quae ex habitu externo medicamentorum exsurgit; nec non *d.* quantitas s. dosis. In quo opere sedule observandum venit dosin baseos et adjuvantis semper fixam manere; corrigentis et vehiculi vero, dum ambo indolis magis indifferentis sint, (quod non semper locum habet) ita variare posse, ut proportio generalis, ac forma desiderata inde enascatur.

§. 27.

Omnis porro formula composita regulis sequentibus generalibus iociti debet.

- a)* Simplicitatis huc quoque studeat Medicus; medicamen enim, simplicis effectus melius determinari, observari, et dirigi potest, quo cognitio medicamenti ex relationibus cum organismo vivo amplificatur et confirmatur.
- b)* Sterilitatem tamen caveat ne conjugat cum simplicitate strenua; qui enim omnia uno absolvere tendit remedio, memor potius esto per compositionem rationalem medicamenti cuiusdam singularis, vim debiliorem acui, justo fortiorum moderari, medicamen ipsum in formam magis oportunam aegro minus ingratam redigi, exque compositione nova protinus producta emergere virtutis magnae et singularis, quorum locum, simplex numquam explebit v. g. pulvis Doveri.

- c) Pharmaca virtutis oppositae non licet componere, quum alterum alterius effectum destruit; attamen et hocce canon suam admittit exceptionem: etenim ex connubio duorum medicamentorum, quoad vires sibi oppositorum, exsurgit hinc inde tertium virtutis singularis, v. g. tremor tartari cum pulvere corticis chiae (in hydrope praestans remedium).
- d) In compositione demum relationum chemicarum maxima habenda est ratio, ne copulentur quae se invicem resolvunt v. g. calomel et sapo . . . aut talia, quae productum novum sed plane iners producunt v. g. corros. cum alcali quoddam; aut plane vehementissimum praebent v. e. sulf. aur. antim. cum acido muriatico. — Si vero conjunctio chemica productum praebet desideratum virtutis cognitae in usum ducenda.
- e) Ultimo attendendum ad relationes pharmaceuticas, atque expediendum antea, an ex consortio horum corporum forma compareat desiderata, v. g. gummi-resinae et extracta non possunt componere pulveres; olea pinguis non valent pro pilulis.

Nota. In exponendis formulis ordinem (§. 13.) ad ductam sequemur, internas externis, graviores levioribus praeponendo.

P a r s s p e c i a l i s.

A Formulae internae.

P u l v i s.

§. 28.

Pulvis (Pulver) est ea pharmaci forma qua medicamentum in statu sicco et in particulas minores mechanice divisum offertur. Divisio haec fit per contu-

sionem, limaturam, rasuram etc. (vide §. 18.) vel per mixtionem simplicem substantiae liquidae cum pulvere alio sicco.

§. 29.

Est pulvis quoad compositionem:

1. **simplex** (einfaches Puls.) unum pharmacon continens, et
2. **compositus** (zusammengesetztes P.) qui plura medicamina sicca vel et in connubio cum fluidis offert.

Quoad subtilitatis gradum audit:

1. **Pulvis rūdis** (grossus, grossis, grossiusculus (grobes Pulver auch tragea, tragema Gewürzpulver) constat ex frustulis majoribus minoribusque quorum diversitas visu et tactu facile distinguitur.
2. **Pulvis mediae subtilitatis πατέξοχεν** pulvis dictus (mittelmäßig fein) medium tenet inter rudem et
3. **Pūlverem subtilissimum** (alcoholisatum vel simpliciter alcohol sehr fein) qui offert medicamen sub forma farinae tenuissimae, mollis, ex particulis minimis aequalibus compositae solo usui interno et ad collyria sicca dicatum.

§. 30.

Ad pulveris formam apta sunt corpora medicata omnia, quae adminiculis mechanicis aut mixtionis ope in particulas minimas non cohaerentes redigi possunt, quin virtutem propriam amittant cortices radices, herbae, flores, semina complura, extracta sicca, terrae, sales, calces metallicaes, gummata, gummire-

sinae imo et liquida si quantitate minori cum pulvere miscentur v. g. olea aetherea, olea empyreumatica balsama.

§. 31.

Non admittunt pulveris formam, quae ob duritatem nimiam aut tenacitatem, aut habitum glutinosum divisionem mechanicam recusant, v. g. lignum guajaci; porro fluida aut solida spissa nonnisi majori dosi efficacia, et quae per praeparationem ad pulveris efformationem necessariam, per siccationem nimirum vires suas amittunt v. g. herbae aromaticae; porro substantiae sub aëris contactu liquecentes v. c. hepar sulfuris, acetas lixivae, murias ferri ammoniacalis; dein quae exigua jam in dosi virtute acri aut caustica os faucesque adgreduntur: arsenicum, kali causticum, phosphorus, nitras argenti fusus, jodina, hydrargyr. corros. cortex mezerei ceteraque; medicamina nimis foetida, nauseosa, amara: asa foetida denique quae nonnisi mole majori effectum desideratum praestant, et tales gerunt partes constituentes, quae inefficaces ventriculum potius onerant v. g. fibra lignea.

§. 32.

In concinnanda pulveris simplicis forma Medicus in designatione ponit substantiam pulveris et illius quantitatem (reliqua juxta §. 16) quae vel generalis vel specialis est.

Quantitas s. dosis generalis pro varia pulveris efficacia et designatione varia est, a scrupulo ad unciam, et ultro ascendendo.

Dosis specialis seu singula nec sit infra scrupulum semis nec supra Drachmam unam, quia in

casu priori quantitas non commode tractatur, in altero difficulter assumitur. Si vero remedium aliquod ad gr. unum aut pauca praescribi debet, tunc illi addimus pulverem aliquem indifferentem, v. gr. pulv. liquiritiae, pulv. rad. altheae, aut sacchari albi quantum satis ad pondus scrupuli dimidii explendum.

§. 33.

In formulae pulveris composita proportio quoque inter singula ingredientia servanda et determinanda est (vide §. 25) quae praecipue valet dum liquidum aliquod assumitur quo in casu remedio consistentiam debitam formante v. g. sacch. pulvere alio indigemus.

§. 34.

In subscriptione Ph̄armacopoeus monetur, ut (sub forma composita nempe) substantias (bene, exactissime) misceat, quo pulvis aequabilis emerget; hoc in fine adponimus M. f. p. in dosi vero speciali: m. f. p. dentur tales doses (tot et tot) v. g.

Rp. Calomelanos gr. unum

Opii puri gr. dimidium

Sacchari albi scrup. semis

m. f. p. dentur tales doses Nro. sex Sig.

Sub generali designatione adponitur: m. f. p. div. in dos. aequal. (tot et tot) v. g.

Rp. Calomelanos gr. sex

opii puri gr. tria

Sacchari albi dr. unam

m. f. p. divid. in dos. aeq. Nro. sex. sig.

Porro continet subscriptio receptaculum aut v̄as, quod tunc praeprimis valet, si volatiles ingrediuntur substantiae uti: camph. moschus, castor. liq. cornu

cervi . . . adponitur quapropter: Dentur ad chartam ceratam (v. in charta); ad vitrum; ad scatulam; ubi vero receptaculum non assignatur, intelligitur charta.

§. 35.

Signatura praecipit applicationis modum quoad dosin, tempus et vehiculum; Dosin singulam et per cochlearia parva assignamus aut quantum apice cultri excipitur. Temporis spatium ad horas vel diem extendimus. Vehiculum, quo pulvis excipiendus; est aqua simplex vel destillata, vinum, jusculum, lac, emulsum aut infusum medicatum, aut nebulae (Oblate) ob pulverem scilicet ingratum et aegrum deligatorem. Cochlear aut vasculum, pulverem cum fluido remixtum continens bene agitetur, ne pars efficax maneat.

§. 36.

Forma pulveris in plerisque casibus requirit vires digerentes sat validas, easque eo maiores, quo magis pulvis adsimulationis vi resistit; praesentibus obstaculis in deglutitione, oesophagi angustatione v. g. a scirrho; in paralysi ejusdem; in ulceribus aut excoriatione cavi oris, faucium; in appoplexia; sub frequentiori tussitatione aut singulu morbo; in extataa ventriculi sensilitate; vomendi nisu; vel sub idiosyncrasia, forma pulveris locum hahere non potest.

§. 37.

Pulveris varia divisio atque denominatio, modo solonm applicationis et loco inititur, quapropter sub (§. 13.) adductae pulveris species ad formulas exter-

nas relegamus, hic nonisi de Elaeosaccharo mentionem facturi.

Elaeosaccharum (Debzucker) est mixtio pulveris forma ex oleis aethereis et saccharo albo pulverisato, quae triturationis ope obtinetur; uncia una sacchari plerumque requirit 12-24 guttas olei. Extempore semper paratur, ne virtute sua odorifera spolieatur; porrigens et adjuvans optimum pulveris.

Pulvis diaphoreticus (Dr. v. Graefe.)

Rp. Opii puri gr. semis.

Camphorae gr. duo.

Kali nitrici gr. quinque.

Sacchari albi scrup. semis.

M. f. p. S. Vor dem Schlafengehn zu nebmen.

§. 38.

Species (ad theam, ptisanam, infusum frigidum aut externe ad gargarismata, cataplasmata, fomentationes, clysmata, suffumigia, balnea, pulvinaria et s. p.) sunt ingredientia mixtionis adminiculo obtenta ex corporibus medicatis concisis, atque contusis, naturae plerumque vegetabilis uti sunt: flores, folia, cortices, radices, ligna, fructus, semina, resina nonumquam tamen et sales adponuntur.

Species pectorales (Dr. J. C. Stark.)

Rp. Rad. Altheae

— Graminis aa. unc. unam

— Taraxaei

— Liquiritiae aa. unc. gemis

Stipit. Dulcamar. dr. sex.

Fol. Sennae dr. duas.

Sem. Foeniculi dr. unam

C. C. D. S. Brustthee.

Trochisci.

§. 39.

Trochisci* (Zeltel - Schluckkügelchen) a pilulis nisi figura arbitraria diversi, sunt globuli medicati complanati, quos massa pulverulenta ex mucilagine praecipue et saccharo constans, inque certos modulos redacta componit. Constituitur excipiente et excipiendo. Vitanda omnia ingrata, quem trochisci nisi dentibus fracti aut in lingua saltem liquati, deglutuntur; praeferenda igitur quae gustui aut olfactui placent. Saccharum, amyrum, mucilago guini arabici aut tragacanthae, chocolata, qua excipientia raro abesse possunt.

Proportio inter haec ingredientia optime Pharmacopolea relinquitur. Quantitas generalis saltem ad unciam unam aut unam et semis prescribitur, aut lumbentius numerum assignamus. Dosis specialis singuli trochisci a granis tribus-sex-decem ascendit. Figura penitus arbitraria vel orbicularis vel cylindrica est etc.

Praescribimus trochiscos, morsulos ceteraque ejusdem prosapiae solummodo aegrotis pharmacophobis et infantibus. Signatura eadem ut in pilulis.

Trochisci pectorales regiae Pharmacop. Daniae.

Rp. Castorei drach. semis,

Sacchar. albi pulveris. unc. unam

Mucilag. Tragacanth. q. s. ut f.

Trochisci ponderis granorum trium

Sig. Dann und wann ein Stück zu nehmen.

*) τροχισκος ein Zeltchen von τροχος ein kleines Rad (Kraus Lexicon)

Morsuli.

§. 40.

Morsuli seu electuarium siccum s. tabellae (Morsellen, Läfchen) massam sistit solidam, fragilem, variae figurae ex saccharo prius liquato dein congelato cum substantiis medicatis mixtam.

Parantur sequenti plerumque modo: succhari albi unciae plures cum dimidio aut aequali sui ponderis parte aquae incoquuntur ad consistentiam sic dictam tabulandi, hoc est qua sub refrigerio massa in fila ducitur; liquidum ab igne remotum agitatur usque dum pellucidiatem amittit, dein ingredientia reliqua admiscentur, demum massa in modulum madefactum infunditur, et refrigerata in frustula regularia secatur.

§. 41.

Excipiens igitur morsulorum est saccharum incocatum; excienda pulveres subtile vel etiam grossi, quorum tamen particulae nec durae nec minis tenaces sint; vitentur etiam ingrata.

Quantitas generalis non sit infra uncias quatuor, quum moles minor difficulter paratur; singuli vero morsuli a drachmia ad semiunciam.

Proportio inter excipendum, quod in formula primum occupat locum, et excipiens ea esse potest, ut quadruplum aut sexduplum sacchari summatur.

Subscriptio, aut praeparationis modum exprimit aut hunc Pharmacopoeo notum supponens simpliciter denotat: misce siant lege artis mors. pond. desiderati. Interea tota haec formula hodie vix usitata.

Morsuli anthelmirthici (Dr. J. A. Schmidt.)

Rp. Seminis Santonici

Herb. Tanacet. aa. dr. duas

Aethiop. mineral.

Rad. Jalapp. aa. dr. unam semis

Cinnamomi dr. unam.

In pulverem reductis immisceantur sacch. albi in aquae rosarum soluti et ad consistentiam Tabulati cocti unc. tres et semis. Formentur inde morsuli dr. unius. Sig. adultis bis de die morsuli duo capiendi.

Rotulae.

§. 42.

Rotula seu Orbiculus (Stern-Brustflügelchen, Tropfen) a morsulo nonnisi figura subrotunda, superius convexa, inferius complanata aliquomodo pellucida differt, et eo, quod excipienda sint subtiliora; et intime saccharo unita: hinc pulveres subtilissimi; succi plantarum expressi grati; olea aetherea; et essentiae ad rotulas recipiuntur; nec funduntur in modulos sed guttatum liquamen in laminam stillatur.

Rotulae Berberum (Ph. austr.)

Rp. Sacch. albi in pulver. tritiq. v. incalescat ad ignem dein adde succi Berberum q. s. ut sacch. lente difluat. Liquamen effundatur in rotulas.

Bacilli.

§. 43.

Bacilli. (Stängelchen, Gerstenzucker) eandem fere formam sed nullam pelluciditatem ac prius ennarrata habent, et nonnisi in figura tereti haud signata ab illic distinguntur.

Pilulae.

§. 44.

Pilulae, catapotia (Pillen) sunt globuli medicati ex molli solidescentes, substantiis medicatis idoneis ex toto deglutiendi. Formam pilularum admittunt:

1. Substantiae tenaces, subglutinosae v. g. gummi-resinæ.
2. Pulveres siccii vegetabilis et minerales si cum materiis glutinosis uti extractis, mucilaginibus, syrups miscentur.
3. Substantiae liquidae præcipue spissæ et glutinosæ: Extracta, Electuaria, balsama officinalia, si cum siccis varia ratione uniuntur.

§. 45.

Ex his omnibus ea ad formam pilularem præparimis apta sunt, quae dosi minori plenum exserunt effectum, deinde et illis convenit haec forma, quae sapore et odore nimius fortibus et ingratis gustum et olfactum magis offendunt, quippe quae massa pilulari melius absconduntur et palatum citius transeunt. Medicamenta vero heroica, quae jam in minima dosi magnos et facile nimios producunt effectus eo non valent pro forma pilulari, quoniam distributio summiæ aequabilis, et hinc dependens accuratissima doceos cognitio haud facile obtineri potest.

§. 46.

Substantiae guminiresinosaæ solae in mortario murrhino quidquam calefacto; substantiae resinosaæ vero addito pauxillo spiritus vini in formam pilularem redigi possunt. Pulveres et corpora spissiora, liquido glutinoso aliquo indigent, sicuti vicissim liquida pul-

verem aut material spissiorem requirunt ut in massam cohaerentem coëant, ex qua pilulae formari possunt.

§. 47.

Hac de causa ad parandam massam pilularem duo requiruntur adminicula, alterum excipiens, excipientem alterum.

Excipientis vices agit liquidum quoddam glutinosum; extracta liquida, mucilaginea, roob, syrapi, mel, succi expressi, electuaria officinalia; minus oportunum est balsamum et terebinthina, plane ineptum oleum.

Excipientia sunt pulveres et corpora spissiora: gummi, gumiresinae; gumiferulacea; sapones; mica panis; extracta spissa et sicca. etc.

§. 48.

Ut autem constituentia haec idoneam referant massam, determinata requiritur inter aliaque propria; haec vero determinatur a constituentis utriusque consistentia et in cohaesionem nisu; ad regenpam hanc proportionem sequens proponitur Schema:

Ad unciam unam excipiendo (pulveris siccii) sumuntur excipientis spissioris uti: mellis, terebinthinae, extracti mollieris, drachmae quinque-sex; minus spissi uti: syrapi, mucilaginis, balsami, vitelli ovi drach. tres-quatuor; tinturae vero solum drach. duae-tres.

§. 49.

Plerumque vero rem ita instituimus, ut proportionem hanc determinandam Pharmacopaei experientiae relinquamus; hunc in finem alterius constituentis, cuius dosis exacte definienda est; pondus adcurate de-

signamus; alterius vero cujus quantitas minus scrupulosa est, arbitrio Pharmacopolee relinquendam haesitamus, sequentibus utentes verbis: q. suff. v. sat. ut f. m. pil.

Si autem constituens utrumque ejus est indolis, ut dosis utriusque exacte definire debeamus, quin tamen exinde massa necessaria pro pilulis formanda exsurgat, aliud adhuc constituens naturae magis indifferentis addimus, cujus quantitatem iterum Pharmacopolee comittimus.

§. 50.

Quantitas generalis, qua pilulae praescribuntur pro varia illarum efficacia et Medici indicatione admodum varia est; a paucis granis ad drachmam unam et ultra ascendendo.

Specialis pilulae singulae a gr. uno ad tria optima; minores enim arduum confidere, majores sumere. Sunt tamen, qui pilulas ponderis granorum quatuor-quinque et sex praescribunt.

§. 50.

Ipsa pilularum forma juxta regulas sequentes concinnatur:

In designatione ponitur primo loco excipiens, dein excipiendum quantitate et proportione mutua rite destinatis.

In subscriptione praecipitur Pharmacopoeo primo mixtio ingredientium, dein: ut fiat massa pil. monetur porro ex massa hac pilulas determinati ponderis, vel determinato numero formare; dicimus igitur: fiant pil. gr. duorum-trium, aut fiant pil. No. tot et tot. Jubemus postea pilulas paratas pulvere aliquo indica-

tioni non opposito conspergere v. g. pulvere semin. anisi, lycopodii, liquiritiae, cinnamomi etc. Veterum mos pilulas auro obducendi indicabatur verbis: obducantur foliis anri, argenti. Ultimo additur receptaculum: d. ad seat.

Signatura in pilulis eo modo differt, quod dosis singula numero pilularum definitur.

Pilulae contra Chlorosin (Weikard.)

Rp. Limatura ferri unc. semis

Pulv. rad. Gentianae rubr. serup. quatuor

— rad. Rhei

— Cinnamomi aa scrup. duos

Extracti Absinthii q. s. ut f. m. pilul.

form. pil. ponderis granorum duorum

Consperg. pulv. Cinnamomi D. ad scat.

Sig. Täglich 3 mahl 6 Stück zu nehmen.

Bolus.¹

§. 52.

Bolus (Bissen) est massa rotunda vel ovalis, mollis, cohaerens, magnitudinis tantae ut una vice deglutiri possit; quoad consistentiam locum tenet inter medium electuarium inter, et pilulas. Eadem substantiae quae sub electuarii, aut pilularum forma prescribuntur (nam bolus non nisi pilulae ponderis exindeque voluminis majoris speciem refert) etiam ad bolum formandum requiruntur.

Praeparata pharmaceutica nonnulla per se sola in formam boli redigi possunt, v. g. Electuarium officinale. Medicamina sicca conglutinando indigent liquido aliquo; sicuti liquida siccum aliquod desiderant; patet exinde necessitas excipientis et excipienti. Inter haec iterum proportio debita observanda;

recipiuntur ut plurimum excipiendi sicci et excipientis liquidi partes fere aequales, aut paulo major excipientis, plerunque tamen Pharmacopolee arbitrio relinquimus addendo: q. suff. ut fiat bolus.

53. §.

Quantitas specialis boli singuli a granis decem ad drach. duas nec tamen ultro ascendat, quum bolus major gulam aegerrime transit. Generalis, numerum quartum aut ad summum sextum vix excedat aportet, quum facile indurescant. Medicamenta, sub hac forma in ventriculo facilius solvuntur, quam pilulae, bollique deglutitio ceteroquin facilior, qualitates ingratiae melius celantur, et hydrophobis unicus ferme pharmaci habitus, quem porrigerere possumus. Ast repugnant boliusu vitia organorum deglutientium: dysphagia; aut qui leipothymia corripiuntur, ubi auxilium promptissimum requiritur; in infantibus quoque raram inveniunt applicationem.

Ceterum eadem praecepta uti in pilulis et ibi applicanda.

Bolus diureticus. (J. A. Schmidt.)

Rp. Pulv. fol. Digital. purp. gr. unum

Opii puri gr. semis

Pulv. coriariae Cascariellae gr. decem

Syrupi communis q. s. ut f. bolus.

Dentur tales Doses No. quatuor

Sig. Früh und Abends ein Stück zu nehmen.

Pasta.

54. §.

Pasta (Pastille) fit ex spiso liquido mucoso v. g. infuso radicis Altheae, gummo quodam impraegnato, additis substantiis medicatis et saccharo, in massam

tenacem, dein evaporando. Speciem refert Chocolatae medicatae et a trochiscis quae et eadem ratione paratur, nisi tenacitate et figura frustulenta differt.

Athene verbessernde Pastille (Chevalier.)

Rp. Succolatae pulverisat. unc. duas.

Carbon. veget lotorum

et in pulv. subt. redact. unc. unam.

Vanillae drach. unam.

Mucilag. gum Tragac. q. s. ut f. l. a. pasta.

Dissec in frust. q. v. Sig. —

Electuarium.

§. 55.

Electuarium (Latwerq) est massa medicata mollis pulvi similis, consistentiae mediae inter syrum et extractum, ita, ut ex cochleari aut spatula aegro porrigenda non desluat, neque econtra nimis spissa sit; ex substantiis idoneis siccis (excipiendis) et liquidis lentis (excipientibus) confecta, quae in lingua liquata sensim deglutitur.

Excipiendā omnia agunt, quae pulveris formam admittunt, excipientium vero vices: Extracta mollia, Roob, mel, pulpa, succi expressi plantarum, syrupi, et similia.

§. 56.

Non convenient, quae facile liquecunt; quae in fermentationem prioniora, quae specifice graviora sunt, quum facile fundum petunt; neque quae in dosi jam minori magnum exserunt effectum, quum quantitas specialis, solum per cochlearia parva assignata, minus exacte sit; nec olea aetherea, spiritus, praeparata cammonii, mercurii, stibii, acida mineralia, guminiresinae, gummata ferulacea, neque terrae absorbentes libenter hanc formam ingrediuntur.

§. 57.

Sequens Schema in determinata proportione inter excipienda et excipientia Medicum dirigere solet: ad partem unam pulveris recipiuntur extracti spissioris: conservae partes octo; excipientis minus spissi; v. g. roob, puluae, melis, partes tres, et liquidioris uti syrupi et succorum plantarum partes duae.

§. 58.

Interea in concinnatione determinata primo excipiendi (pulveris praeprimis vegetabilis) accurata dosi; quantitatem excipientis iterum experientiae Pharmacopoei comittimus; adjungendo q. s. ut fiat Elect. consistentiae mollieris, mediae aut spissioris.

§. 59.

Qaantitas generalis inter unc. unam et quinque titubat, nec consultum est molem majorem dispensare, quum diutius asservatum electuarium aut siccescit, aut liquescit, aut in fermentationem ruit, et corrumpitur. Specialis, vel ad magnitudinem nucis juglandis, moschatae, avellanae vel per cochlearia determinatur.

Electuarium mundificans contra impetigines. (Himly)

Rp. Pulv. rad. Helen.

- ligni Guajac.
- rad Imperat.
- fol Sennae
- cort. et lig. Sassafr.
- Baccar. Juniper. aa. une semis
- Seminum anisi dr. duas.

Mellis despumati q. s. ut f. l. a. electuar,
Detur ad pyxidem sig. 3 mahl täglich 1 Thees-
löffel voll zu nehmen.

Gelatina.

§. 60.

Gelatina (Gallerte) est massa elastica, tremula, diaphana, albi aut alboflavescens coloris, ex coctione protracta partium animalium plerumque domesticorum, (in vase plerumque hermetice clauso), ut carnium, cornuum, unguilarum, tendinum, ossium, ichthyocollie aut vegetabilium, v. g. lichenum, radicum, salep, amyli, obtenta, additis china, pimentis, aquis aromaticis, et s. p.

§. 61.

In praescriptione quantitatem determinamus excipiendi cum verbis: f. c. aq. font. s. q. l. a. gelatina cui adde.... sed et parata concinnatur v. g. Rp. Gelatina et lichenis islandici.... quae in Pharmacopoliis recens parari debet. Per ichthyocollam quodvis decoctum aut infusum in gelatinam transformari potest.

Gelatina expectorationem promovens (Chouulant).

Rp. Rad. Senegae dr. duas.
Coq. ex aq. font. q. s. ad
Colaturam unciar. octo cui adde
Ichthycollae q. s. ut f. gelatina cui calidae
adhuc adde Syrup. cort. aurant. unc. unam
M. D. S. Theelöffelweise.

Infusum.

§. 62.

Infusum, Infusio (Aufguß) refert fluidum medicatum, quod obtinetur, si particulae corporis medicati ope fluidi cuiusdam infra cotionis gradum calentis, aut plane frigidi, quo nempe atmosphaera pollet, simplici maceratione extrahuntur. Pro diversitate menstruorum ad extrahendas particulas efficaces adhibitorum, varium habemus infusum: aquosum, vinorum, cum sero lactis, cum aceto et s. p., necnon quoad gradum illorum caloris: fervidum, frigidum.

§. 63.

In infuso omnia praescribuntur, quorum partes efficaces ita constitutae sunt, ut infra caloris gradum, qui ad coctionem requiritur, in fluido solvantur, uti amara, acria, aromaticae, mucilaginosa, extractiva, salina, et saccharina; attamen menstruorum diversitatem semper respiciat Medicus, quum alia medicamenta alia sibi expostulent fluida. Sic menstruum aquosum frigidum, solum substantias salinas: saccharum, mucilagineum, materiam extractivam, et acrem; aqua fervida, praeter has et oleum aethereum; alcohol, resinam suscipit, aetherea, et balsama; vinum, ea quoque quae virtutem suam oleo pingui et principio resinoso mero debent.

§. 64.

Dosis generalis raro unicas octo superat, specialis, per cochlearia parva, cibaria, aut sepius vasculatum definitur. In designatione materiae, primo materiae ad infun-

dendum cum pondere determinato, dein menstruum ponitur, quod plerumque Pharmacopole committitur. Subscriptio vero plura tradenda habet.

- 1) Praeparationem materiae infundendae contusionem nempe concis
- 2) Ipsum plerumque menstruum si aliud quam aqua simplex summitur.
- 3) Caloris gradum sub quo infusio absolvenda est.
- 4) Macerationis tempus cum circumstantiis sub eadem observandis.
- 5) Purgationem a materiis heterogeneis, superfluis; quae fit per defusionem, colationem, cui simul quantitas additur, quae, facta colatura, superesse debet, dum scilicet menstruum voluntati Pharmacopoeiae relinquitur.
- 6) Additionem accessorii adjuvantis, corrigentis, sub qua occasione non raro caloris gradus adnotandus venit in quo accessoriū traditur, et demum
- 7) Receptaculum, quo infusum est exhibendum.

§. 65.

Signatura dosin singulam denotat, temporis intervallum, quo capienda est infusio, nec non temperaturam sub exhibitionis momento.

Infusa non solum usui interno inserviunt, sed et externo ad gargarismata, lotiones, fomentationes, enemata etc. (vide infra formulas externas)

Infusum boraxatum contra hydropem post scarlatinam. (Kopp)

Rp. Pulv. rad. Serpentariae

— *Chinae fuscae* aa. dr. unam

Infunde aq. servid. s. q. stent in digestione
calida per $\frac{1}{2}$ hor.

Colat. refrigeratae unc. octo
adde .

Tart. boraxat. dr. unam semis
Spirit. nitri dulcis scrup. duos
Syrup. cort. aurant. dr. quinque
Roob Juniperi dr. tres.

M. D. S. Alle 2 Stunden $\frac{1}{2}$ Eßlöffel zu
nehmen.

Decocum.

§. 66.

Decocum, Apozema (der Absud, die Abkochung, das Dekost) est fluidum particulis medicatis efficacioribus impraeagnatum, quae coquendo extrahuntur. Substantiae solummodo hic exhibentur, quarum principia efficacia in liquido nonnisi caloris intensioris ope qualis sub coctione obtinet, solvuntur, huc spectant, quarum virtus principio tanino, scytodephico, chinaceo, cinchonaceo, gummoso, gummiresinoso, extractivo, oxydato debet. Sed non omnia eundem requirunt aut admittunt coctionis gradum et extensionem; sunt, quae per quadrantem cocta horae partem, menstruo sufficiensem principii efficacis vim relinquunt, v. c. amara, mucilaginosa; alia $\frac{1}{2}$ horam, vel unam exigunt coctionem, ut saturatum exinde emergat apozema v. g. tanina, gummiresinosa; corpora duriora compactiora, uti ligna quaedam, ossa, limaces, cornu cervi et metalla nonnulla, hydr. stib.... per plures horas calori intenso subjicienda sunt.

§. 67.

Quodvis decoctum tria postulat ingredientia:

- 1) Species decocti seu decoquendas (excipienda) et (raro) metallorem praeparata.
- 2) Fluidum (excipiens) quo illae pro decoctione excipiuntur et
- 3) Additamenta, quae corrigunt aut medicamen efficacius reddere valent.

Hae species ruditer tusae vel concisae, substantiae vero minerales in nodulo ligatae aquae fontanae ad remanentiam plerumque dimidii sui voluminis coctionis ope commituntur. Colatum dein fervidum calidum aut refrigeratum pharmacis emellioratur accessoriis.

§. 68.

In decocto non praescribuntur, quorum particulae efficaces calore dissipantur, v. c. flores arom. volatilia, acria, porro ea quae vim hac operatione mutant uti senna, rheum, liquiritia et asarum europaeum, quod ex vomitorio fit stimulans; superfluum quoque coctioni subjecere quae per infusionem extrahuntur, v. g. flores verbasci.

§. 69.

Proportio inter excipiendum et fluidum pro varia apozematis indole variare debet, in decocto enim concentrato, dr. una specierum ad colatum unciae unius numeratur; saturatum exigit solum drach. semis pro uncia colatura; et ptisana, quae plerumque dona paratur (est nempe decoctum minus saturatum) minorem adhuc quantitatem excipiendi continet.

§. 70.

Quantitas generalis raro libram excedit, specialis vel cochleatim vel semi-aut vasculatim porrigitur, Notandum tamen menstrui quantitatem majorem esse debere quam in infuso, quum major fluidi pars sub coctione, nisi in vasis hermetice clausis sit, in vaporem expansa dissipetur; quare vel accurate fluidum designat Medicus ad remanentiam unciarum tot et tot, vel tempus coctionis protractae addendum non omittit. Si sub finem coctionis aliquid aromaticum adiungimus, quod simul colatum cupimus, verbis utimur: sub fine adde . . . ebulant paulisper, colentur. Persaepe decoctum paratum praescribitur v. g. Rp. Decocti Altheae, Graminis, Chiae . . . per quod Pharmacopoeus semper concentratum intelligit.

Quod et decocta ad usum externum serviant quemadmodum infusa, per se liquet.

Decoctum contra Prosopalgiam (Samel.)

Rp. Cort. Peruv. unc. semis

Coq. ex aq. font. unc. sedecim

ad colaturam unc. octo

Post refrigerat. adde

Tinct. guajaci ammon. dr. duas

— Opii simpl. dr. unam.

M. D. S. Alle 2 Stund 1 Eßlöffel zu nehmen.

§. 71.

Si decoctum aliquod alio iterum medicamini infunditur, ut et hujus extrahat principia efficaciora, liquidum inde obtentum Decocto-Infusum (Abzugsflüssigkeit) vocatur; Colatum nempe calidum infun-

datur substantiis v. g. aromaticis infundendis, et sic per longius aut brevius temporis intervallum macerationi relinquitur. Si vero corpus quoddam medicatum primo infunditur, residuum vero ab infuso coctioni subjicitur sive cum eodem, sive cum alio menstruo fluidum utrumque commixtum exinde enatum Infuso-Decoctum (Aufguß-Absud) audit, quod itaque insegerit simul et partes volatiles infusione extrahendas, et partes coctione solum obtinendas.

Decotto-infusum lenitivum.

Rp. Rad. Taraxaci unc. unam
concis. coq. c. s. q. aq. c. p. $\frac{1}{2}$ hor,
tunc adde
Fol. Sennae Alexandrin. dr. tres
Stent adhuc in infuso fervido p. $\frac{1}{2}$ hor. colaturaunciar. decem.
adde
Salis mirabil. Glauber. dr. tres
Mannae electae unc. unam.
M. D. S. Alle Stund 2 Eßlöffel.

Infuso-decoctum tonicum.

Rp. Cort. Cascarillae cont. drach. quatuor fiat infusum per $\frac{1}{2}$ hor. vase clauso ad colatram librae semis
Residuum coq. per $\frac{1}{2}$ hor.
ad colaturam librae semis
quae miscentur cum infuso.
Quibus adde
Syrupi corticis aurant. dr. sex.
P. S. Alle 2 Stunden 2 Eßlöffel.

Solutio.

§. 72.

Solutio (*Auflösung*) est unio chemica corporis solubilis in menstruo quodam solvente; quae vel perfecta vel imperfecta esse potest; prouti indoles chemica excipiendi aut excipientis variat, ex qua ratio varia emergit, quae in se invicem agunt; in eligendum igitur menstruum opportunum attentio Medici convertenda; sales enim complurimi: saccharum, gumi, extracta in simplici resolvuntur aqua; ast sales nonnulli uti tart. emet; terra ponderosa salita, hydrargyrum corros. exigunt aquam destillatam, ne decomponantur; sic gumiresinae menstruum alcoholicum, vinosum, aceticum. Camphora, olea aetherea solum ope alcoholis solutioni inserviunt. Respiciat porro ne punctum saturationis excedat, neque complura commisceat quae se invicem decomponunt.

§. 73.

Ad solutionem plerumque inserviunt infusa, decocta, mixturae . . . hinc raro qua formula pecularis praescribitur, cui inter excipientum et fluidum: solve in . . . adponimus.

Usui externo magis dicatur. **solutio** praeprimis **simplex**.

Solutio contra Metrorrhagiam (Rust.)

Rp. Aluminis crudi gr. quindecim.

Solve in . . .

Aq. menth. crisp. lunciis: quatuor adde

Tinct. cinnamomi dr. tres

Syrup. papaveris unc. unam.

D. S. Alle $\frac{1}{2}$ Stund. 1 Eßlöffel.

Mixtura.**§. 74.**

Mixtura est medicamen fluidum ex pluribus simplici mixtione compositum, cujus tres habentur species
1 Julapium, 2 Mixtura media, 3 Mixtura contracta seu concentrata (nonnulli dividunt mixturam in haustum, julepum et elixirium.)

a) De Julapio.**§. 75.**

Julapium, Julepus (Arzneitränkchen) est mixtura pellucida in omnem respectum grata, constans excipiente et excipiendo. Excipiens fluidum pellucidum dotibus sensibilibus aut gratis aut solum non ingratiss instructum v. g. aqua simplex aut destillata, serum lactis, infusum aut decoctum aliquod purum.

Excipienda omnia sunt, quae non ingratia in excipiente soluta cum hoc fluidum homogeneum habitus jucundi exhibent, huc pertinent aquae stillatitiae fortiores, succi plantarum grati, tincturæ, essentiae, spiritus, præprimis aetheres, syrapi, acida, et sales mitissimi.

Omnia vero quae odore, sapore, aut colore dispergent, porro quae spissa et insolubilia sunt ex foro juppii excluduntur.

§. 76.

Quantitas generalis et specialis pro vario Medicoscopo diversa; ingredientium proportionem determinat singuli virtus et indoles chemica.

Subscriptio admodum simplex: in. f. Julepus nisi
infusio aut decoctio praemittantur, quae suo more
praescribuntur.

Julapium antiphlogisticum tamarindatum. (J. C. Stark)

Rp. Pulpae tamarindor. unc. duas solve in
Aquaefervidae unc. quinque adde
Cremoris tartari unc. unam
Nitri puri dr. unam
Mannae electae unc. unam
M. D. S. Tränkchen. Alle Stund 1 Tasse voll
zu nehmen.

b) De mixtura media.

§. 77.

Media mixtura est quoque fluidum ex medicamentis efficacibus compositum, in. quorum compositione ad vires potius, quam ad indolem gratam respicitur.

Vehiculum excipiens idem fluidum ac in Julapio. Excipienda efficaciora sint oportet, sive pulveruleata sive mollia vel liquida; minus tamen apti sunt pulvres dosi nonnisi majori efficaces, quemadmodum pulveres, qui dosi minima magnum exserunt effectum, quum quantitas specialis exacte haud definitur, quod etiam valet de corporibus minus solubilibus, fundum potentibus, v. g. metallorum praeparata.

Porro si oleum pingue, substantiae resinosae, balsama et camphoracea mixturis adduntur, cum his eadem ratione procedendum, ac in emulsione spuria docetur.

§. 78.

Quantitas generalis et specialis exactius determinanda est, nec proportionis ingredientium ratio negligenda. Partes fluidi cuiusdam octo admittunt unam substantiae mollis, et $\frac{1}{2}$ partem pulveris, ergo uncia una liquidi admittit drach. unam extracti et scrupul. pulveris. In signatura uti in infusis et decoctis procedendum est.

Mixtura contra tussim ferinam.

(Tortoual)

Rp. Moschi genuini gr. tria

Liq. ammon. succin. scrup. unum

Aq. foeniculi unc. semis

Syrupi althaeae unc. unam

M. terendo. sig. mixtura bene agitata, capiat aeger omni hora cochl. parv. unum.

c) De Mixtura contracta.

§. 79.

Contracta vel concentrata mixtura; tinctura; guttae; est fluidum pharmacis viribus pollutibus impraegnatum, molis parvae et guttatum exhibendum. Dosi minori efficacia huic formulae inéunt. Excipiens liquidum: est aqua destillata fortior; aut liquor spirituosus, raro oleum aethereum. Excipienda quoque liquida: tincturae, essentiae, elixira, olea aetherea, balsama, extracta, et sales efficaciores. Quae autem in dicto fluido non solvuntur, aut dosin exigunt maiorem pro hac formula non quadrant.

§. 80.

Quantitas generalis raro uncias duas transgreditur; specialis; per guttarum numerum determinatur.

Proportionem quod attinet, haec ab efficacia mutua et relatione chemica regitur. Signatura hujus simplicis mixtionis praeter numerum gutterum, vehiculum, ex quo summenda memorat, et si volatilia ingrediuntur, tinctuae additur: Detur ad vitrum bene obturatum.

Tinctura contra tussim convulsivam.

(Jahn)

Rp. Liquor. C. C. succin.

Flixit pectoris Regis Daniae aa. partes duas

Laudani liquid. Sydenhami

Vini antimon. Huxham. aa. partem unam

M. D. S. Sumat omni bihorio viginti guttas ex
potu theato.

Generalia quaedam de mixturiis.

§. 81.

1. Ne adhibeantur ingredientia complura aut heterogenea uti sales plures vel plane tres cum metallorum praeparatis speciei et indolis diversae;
2. Ne adcumulentur substantiae, quae consistentiam mixturiis propriam incrassare valerent; demum
3. Chemice sibi opposita corpora absint ab hac formula, quum aut virtutem labefactent medicatam, aut colorem defoedent, sic v. g. tiuctura thebaica in conubio cum aqua laurocerasi praecipitatum produnt nigrescens, floccis plenum, ac si pulvis nicotiana (Schnupftabac) injectus fuisset.

Emulsi o.

§. 82.

Emulsi o, emulsum (Pflanzen-Gaamenmilch) est fluidum lacti quoad consistentiam et colore simile;

quod substantiae oleosae amylaceae, resinosae, bal-
samineae interveniente remedio quodam tertio: muci-
lagine, vitello ovi, aut alterius remedii in fluido quo-
dam suspenditur. Constat plerumque ex materia emul-
genda, fluido et accessorio quodam.

§. 83.

Emulsio in veram et spuriam, seu pseudo-emul-
sionem dividitur; vera (ähne Emulsion, Saamenmilch)
obtinetur, dum semina farinosa, oleosa cum aqua con-
teruntur, materiam emulgendam praebent igitur se-
mina farinoso — oleosa, nuclei fructuum drupicorum;
fluidum: aqua communis vel destillata, vel et infusum
aliquid limpidum sapore grato instructum; accessori-
um, corpus aequa gratum, Saccharum nempe syrups,
mel ceteraque.

§. 84.

Quantitas generalis emulsi veri non major sit, opor-
tet, quam quae intra nychthemeron consumitur, ne
diutius asservatum corrumpatur, ergo ad uncias octo;
specialis, semi-aut vasculatim porrigitur. Proportio
inter materiam emulgendam et fluidum pro varia con-
sistentia, variat. Emulsum saturatum obtinetur, si
menstruum ad speciem emulgendam se habet uti qua-
tuor vel quinque ad unum. Emulsio consistentiae me-
diae, si haec proportio est uti octo vel decem ad unum;
et si fluidi quantitas partes duodecem transgreditur
habetur emulsum tenue.

§. 85.

Formula emulsi ita disponitur, ut in designatio-
ne, materia emulgenda cum pondere suo ponatur, in

qua simul fluidum cum accessorio exprimitur; subscriptio emulsi veri haec est; contunde semina, et continuo terendo sensim adfunde fluidi cujuscumque, quantitatis determinatae, colatura adde . . . usitator tamen simplicior f. l. a. emulsio. Signatura consueta nonnisi manet ut loco frigido, ne acescat, servetur.

Emulsio amygdalina seu ordinaria.

Rp. Amygdal. dulc. excort. unc. unam

— amarar. decort. dr. duas

contunde et continuo terendo sensim

sensimque adfunde aq. com. lib. unam

Colatura adde

Sacchari albi v, Syrup. de Alth. q. v.

ut emulsio edulcoretur. Sig. Mandelmilch.

§. 86.

Emulsio spuria seu pseudo-emulsum (unzähle Emulsion, Dehlmilch) consistentia quidem verae aemula; sed raro colore lactescente gaudet; paratur, resinam, gumiresinam, camphoram, balsama, nitrum, et alia in aqua non solubilia ope mucilaginis, vitelli ovi, melis . . . in fluido aquoso suspendendo, nonnulla vero uti phosphorus, statim ab initio cum oleo intime sunt unienda; requiritur igitur semper medium, aliquod uniens.

§. 87.

In formula adnotatur primo materia cum aqua unienda, dein medium uniens, postea fluidum et ultimo accessorium. In subscriptione praecipitur 1 ut medicamen cum fluido uniendum subigatur cum medio uniens. 2 ut adfundatur fluidum. 3 ut accessorium gratum quoddam addatur.

Emulsio olei Ricini opiata.

(Vogel)

Rp. Olei Ricini unc. semis

Subige vitello ovi

adde

Aq. menth. piperit. unc. unam

Tinct. opii simpl. gutt. octo

Syrup. papaver. albi unc. semis

M. D. S. Auf einmal zu nehmen.

Linctus.

§. 88.

Linctus, Eclegma, Ecligma, Looch (Lecksaft, vulgo Schlecksuft) est medicamen lente fluens consistentiae syrapi, quod eo fine praescribitur, ut ab aegro priusquam deglutiatur, diutius quidquam in ore retineatur; in casibus pluribus nil aliud refert, nisi emulsum spurium magis contractum.

Requiruntur ad hanc formam: mucilagines, olea pressa, vitellum ovi, syrapi, mel, subinde et extracta, roob et conservae. Quae odore aut sapore integrato instructa sunt, aut quae sive sicca sive tenacia in ore non liquecunt, absint a linctu.

§. 89.

Raro ultiro unc. sex concinnatur; dosis singularis plerumque per cochlearia coffeana determinatur.

Proportio ingredientium ea est, ut requisita linctus consistentia exsurgat. Cetera nisi misc. f. eclegma bene agitata, uti in emulsione spuria,

Linctus laxans pro infantibus.

Rp. Olei amygdal. dulc. recen. express.

Syrupi Cichorei c. Rheo aa. unc. unam

Mannae electae

Sacchari candidi aa. dr. duas

m. f. Linctus. Sig. Lecksaft. (Schmidt)

Succ i h e r b a r u m.

§. 90.

Succi plantarum recentes seu recenter expressi (frisch ausgepresste Kräutersäfte) *verno tempore pro cura sic dicta rurali* (Kräuterkur) *ex foliis, caulinibus, radicibus herbarum Taraxaci, Millefolii, Fumariae, Saponariae, Lactucae sativae, Nasturtii aquatrici, Chelidonii majoris, Graminis, Hederae terrestris* aliarumque preli adminiculo obtinentur, qui aut puri, aut cum juscule ex gelatina vitulina (Kalbsbouillon) ab unciis duabus ad quatuor intra spatum horae unius aut duorum, ab aegrotis consumendi, praescrbuntur.

Formula admodum simplex, vel Rp. succor. plant. recent. express. unc. duas Sig. Nach Bericht. vel nominatim adducuntur plantae ex quibus succos obtinere cupimus, uti:

Rp. Succi rec. express. herb.

Millefolii.

Taraxaci

Graminis

Saponariae aa. unc. unam

Sig. Nach Bericht.

(Plura cupienti praestat Hufeland's Journal der praktischen Heilkunde B. 41 Dec. Heft p. 15—16)

Serum lactis.

§. 91.

Serum lactis (die Molfe) est aquosa saccharacea lactis pars, quae ex coagulo spontaneo hujus lactis aut addito acido, nec non corpore acido imbuto a substantia caseosa secedit; quapropter illa, **serum lactis acidum**; haec, **serum lactis dulce**, dulcificatum seu artificiale nuncupatur. Pro usū domestico paratur serum lactis cum frustulo ventriculi praeparati vitulini (Laab) pro rebus pharmaceuticis vero coagulatio effectuatur, addendo lacti ebullienti acetum, tartaros, tamarindos, citri succum, viuum, alumen, et similia.

§. 92.

Quoad proportionem inter lac coëundum et acidum: haec sequens est: ad mensuram unam aut libram lactis vaccini, caprini . . . recipiuntur aceti uncia una; tartari dr. duae; tamarind. unc. duae; succi citri unc. semis; aluminis dr. una; vini rhenani unc. quatuor; sinapeos unciae duae.

§. 93.

In praescriptione quantitatem lactis assignamus, monendo ut ebulliat in vase singulino; dein addimus acidum, coagulum efficiens, cum verbis: mixta ebulliant ad perfectam casei separationem, colatura adde . . . v. g.

Rp. Lactis vaccini libram unam.

Ebulliat in vase singulino

tunc adde

Fructum Tamarind. unc. duas coq. ad plenariam casei separationem et serum cola.

D. S. Tamarindenmölken.

B. Formulae externae.

§. 94.

Formulae externae ab internis non quoad naturam suam, sed solum quoad applicationis locum, modum, et nonumquam quantitatem aut praeparationem differunt; iisdem ceteroquin legibus subjectae, quae de formulis internis speciatim praescribendis, allatae fuere.

Pulvis.

§. 95.

I. Aspergo, Pasma seu Empasma (**Streu** = **Einstreu** = **pulver**), nihil aliud est nisi pulvis loco cuidam epidermide orbato, inflammato, exulcerato, (**pulvis corrodens** **Zegpulver**) inspergendum, cui usui pulvis plerumque subtilissimus inservit, eodem modo praescribendus ac omnis alias, v. g.

Aspergo contra osteosarcosin.

Rp. Camphorae tritae dr. unam

Herbae sabinae dr. duas

Ammonii muriat. dr. quinque

M. F. Pulv. subtiliss. Sig. **Einstreupulver.**

§. 96.

II. Dentifricius (**Zähnpulver**) quoque pulverem refert, ad mundandos dentes tartaro dafoedatos, aut

carie correptos; varium offert colorem juxta ingredientium scopo respondentium varietatem e. g.

Pulvis dentifricius ruber.

Rp. Baccar. globulat. rubr. dr. quinque

Rad. irid. florent.

Boracis venetae aa dr. unam

Aluminis crudi

Myrrhae

Florum cassiae aa scrup. unum

M. f. pulv. pauca aqua rosarum,

Naphae aut salviae irrorandus.

D. ad pyxidem sig. Zahnpulver.

§. 97.

III. Pulvis ad adorem (Riechpulver) et pulvis fumalis seu pro suffimentis (Räucherpulver) referunt pulveris species naribus aegrotantis leipothymia aut alia affectione nervosa correptis admovendi, aut prunis ardentibus, ferro, lapidi, lateri cocto, vel furno, carentibus aëris purificandi gratia; inspergendi.

Pulvis odoriferus contra leipothymiam.

Rp. Sacchar. albis. unc. semis.

Olei destill. cinnamom gutt. sex

— — melissae

— — roismarini aa. gutt. quatuor

Ammonii siccii scrup. unum

Cinabaris q. s. ad coccineum ruborem.

Cito mista immittantur vase vitro

obturaculo vitro perfecte claudendo.

D. S. zum Riechen.

Pulvis fumalis.

Rp. Baccar. Juniperi

Olibani aa. unc. unam

Benzoës dr. unam

Cont f. species. Sig. Zum Räuchern auf Kohlen.

Eodem modo praescribitur pulvis sternutatorius aut ad sternutationem promovendam; membranarum mucosarum inertiam sufferendam; polypum enecandum; asphyxia correptum, ad vitam resuscitandum; aut ad alium scopum indicationi Medici correspondentein, v. g.

Sternutatorius ad muci secretionem augendam contra amauros in (Schmucker).

Rp. Hydr. puri dr. unam

Sacchari albi dr. tres

Conterantur ad perfectam hydgr.

extinctionem, dein adde

Rad. valer. min.

Flor. lil. convall. aa, dr. unam

M. f. pulv. D. S. Schnupfpulver.

§. 98.

IV. Pulvis ad oculos seu collyrium siccum (Augenpulver) particulas continet pulverisatas subtilissime confusas, oculo inspergendas. Obsoleta est formula, quum scopo raro respondeat, imo per irritationem malum potius exasperat.

Collyrium siccum contra corneae maculas.
(Baldinger)

Rp. Sacch. albi subtil. pulveris.

Tartari depurati

Boli arm. albi aa. dr. unam
M. f. p. subtiliss. D. S. 2 mahl täglich etwas
ins Auge zu blasen.

Epithema.

§. 99.

E p i t h e m a seu fomentum siccum (trockner Umschlag) refert species medicatas aut pulveres subtilitatis mediae sacco linteo, panno, aut mitrae includendas qui parti externae adplicantur. Pro varia figura, involuci et loco adplicando, epithematis variae existunt denominations uti pulvinar, aut scutum medicatum (Kräuterkissen — Schild) lectulus medic. (Kräuterbett, Matrasse); cucufa (Kräuterhaube).

§. 100.

Sub ordinatione epithematum ad duo respiciendum habet Medicus.

- 1) ad caloris gradum specierum in involucro adponendarum, et irritationis modum, quam forsitan concupiscit.
- 2) ad proportionem ingredientium et involucri magnitudinem; ad quem finem sequens schema prodesse potest: ad pulvinar magnitudinis volae manus (ad oculum fomendum) requiruntur specierum levium: herb. flor. dr. quatuor — sex farinae, corticis pulverisat... unc. una seminum contusor... unc. una — una et semis Corpor. crassior. uti: cretae etc, unc duae et s. p. Ex quo cetera facile quisque eruere valet.

§. 101.

In signatura monetur, ut sacculum per suturas hinc inde decurrentes bene claudatur, ne ingredientia ex involucro elabentur, conglomerentur, aut in uno loco accumulentur, praeterea locum et modum applicationis adponendum habet.

Cucufa confortans. (Schmidt)

Rp. Radicis angelicae

Herbae majorannae,

— salviae

— rorismar. aa. unc. semis

Caryophyll. arom. dr. unam

Mastiche

Styracis calamitae aa. dr. duas

Conc. cont. m. f. spec. D. S. In Form einer Haube für den behaarten Theil des Kopfes zwischen Leinwand zu nähen und öfter (cum bacis juniperi) durchräuchert aufzusezen.

Emplastrum.

§. 102.

Emplastrum (Pflaster) est massa teuax sub fri-
gore dura, sicca; calore mollescens, ductilis, glutinosa,
cuti adhaerens ex substantiis medicatis composita.

Excipientia sunt: oleum, pinguedo, cera, pix,
resina, gumiresina vel emplastrum aliquod officinale.
Excipienda: pulveres, extracta, sapones, olea aetherea,
balsama, vel et infusa et decocta.

§. 103.

Dividuntur in empl. saturnina (Bleypfaster) ex plumbi praeparatis, cerussa... et in empl. cerea (Wachßpfaster) ex cera, sebo, terebinthina, resinae liquationis ope obtenta.

Proportio inter cera in aut aliud substitutum, ratione emplastri consistentiae variat; ad olei unc. unam recipiuntur cerae unc. duae, et pulveris cuiusdam unc. una (consistentia major); cerae aut resinae unc. una-una et semis, pulveris dr. quator (consist media) et emplastrum molle exigit, olei quantitate eadem permanente, cerae et pulveris aa. unciam semis.

Substantiae hae leni igne liquefiunt, quibus accessoria adduntur, quae, si volatilia sunt, massae ab igne remotae admiscentur in formam emplastri.

§. 104.

Excipientia plerumque primum occupant locum, quem excipienda sequuntur, cum verbis claudimus formulam: M. f. intime malaxando empl. v. coq. f. l. a. empl. Detur ad chartam ceratam Sig. Pfaster, et in casu necessitatis: Extende supra liuteum (Leinwand) alutam seu corium (Leder) pannum bombycinum, ad magnitudinem volae manus, spithamee, chartae lusoriae, numi, etc. et adde (si opus est) marginem ex emplastro adhaesivo. (Hestpfaster)

Emplastrum contra vomitum exvectione.

Rp. Emplast. de Galban. crocat. unc. unam

Camphorae dr. unam

Salis volatil. C. C.

Opii purissimi aa. dr. semis
 Oleii cajeput. guttas quadraginta
 M. f. Emplastr. D. S. Auf Leder gestrichen über
 die ganze Magengegend zu legen.

Ceratum.

§. 105.

Ceratum v. empl. ceratum (Dehlwachs) est spis-
 situdinis mediae inter empl. et unguentum atque ab
 illo nisi ingredientium proportione (ad unc unam olei
 nimirum recipitur cerae unc. una. cum pulvere dr. una)
 et figura tabulata, differt. Servit etiam pro vehiculo
 formulam unguenti ingrediente, e. g. ung. ophthalm.

Mundpomade.

Rp. Olei cacao unc. semis
 — amygd. dulc. dr. duas
 Leniter liquefatis admisce
 Olei de Bergamo gutt. decem
 F. l. a. ceratum D. S. Mundpomade.

Eiusdem indolis sunt cereoli simplices (Er-
 weiterungszäpfchen) ex cerae albae partibus sex, axun-
 giae porcinae aut olei parte una, in cylindros tenues
 contorti, urethrae explorandi aut dilatandi gratia im-
 mittendi. Huc partinet quoque sparatrap ex cera
 et olei in linteum tenuem extensum ad obvoldendas
 partes arthritide vexatas.

Suppositorium.

§. 106.

Suppositorium s. cannula (Stuhlzäpfchen.) est
 massa pastacea, tenax figuram referens coni aut cy-

**lindri intestino recto ad alvum movendam, adipicanda,
ex sapone, lardo, sebo, aut alia pinguendine confecta.**

Raro a Medico ob irritationem praescribitur; Signatura ordinat ut oleo immersum adipicetur. v. g.

Rp. Salis communis dr. semis.

Saponis venet. dr. unam

Melis inspiss. q. s. ut f. l. a.

Supposit. D. S. Mit Dehl bestrichen, dem Kransken heyzubringen.

Unguentum.

§. 107.

Unguentum (Galbe) est mixtio mollis pinguis, butyro quoad consistentiam similis inter linimentum et ceratum medium tenens; parti cuidam externae inungenda. Excipiens corpus est aliquod pingue: adeps, butyrum, oleum, cera, sebum, pix, resina nec non mel. Excipienda: pulveres, extr. camph. olea aeth, balsama.

§. 108.

Sequens obtinetur proportio inter pingua et corpora solidiora: ad adipis unc unam recipiuntur dr. duae ad maximum tres pulveris et olei unc. semis; etiam unc. una olei cum dr. duabus — tribus cerae dabunt unguentum idoneum, cui si pulverulenta admiscentur, cerae quantitas immixuenda et si cerussa, minium . . . adduntur, tunc cera, qua superflua penitus omitti potest. Adipis unciae uni absque pulverbis, nisi olei dr. duae adduntur. Ceterum consistentiam juxta desideria hinc inde mutamus. Subscriptio formulae uti in reliquis; sub finem præparationis modus subjungitur. D. ad chartam ceratam Sig. Galbe, Pomade, Augensalbe.

Unguentum vulnerarium (Frahme.)**Rp. Terebinth. venet. unc. unam****Cerae flavae dr. duas****Solve leni calore, mox refrigerato
adde****Olei terebinth. dr. unam****D. S. Wundbalsam.****§. 109.**

**Unguentum ophthalmicum non nisi majore
subtilitate ingredientium sese distinguit. Ad hocce
genus unguenti qua excipiens propositum est (a Graese
et Hinly) mixtio ex olei amygd. partibus tribus et ce-
rae mollis partibus duabus, quam compositionem ce-
ratum ophthalmicum vocabant, sub sequenti
formula obtentam.**

**Rp. Olei amydal. dulc. recent. express.
unc. tres**

Cerae albae dr. duas,**M. leni calore, fere refrigerat.****agita in mortario, et serva usui.**

**Raro praescribitur unguentum ophthalmicum ultra
puas-quatuor drachmas nec obliviscendum addere; mi-
scere exactissime et det. ad ollam albam.**

Unguentum contra lagophthalmum (Beer.)**Rp. Butyri rec. insuls. unc. semis****Merc. praecip. rubr. gr. octo****Vitrioli albi gr. unum****Tutiae praeparat. gr. decem.****M. exactiss. det. ad ollam albam****Sig. Augensalbe.**

Linimentum.

§. 110.

Linimentum (Einreibung) ab unguento nisi fluiditatis gradu majori differt. Excipientia vix non semper olea pinguia. Subscriptio: M. f. l. a. linim. det. ad vitrum (bene obturatum.)

Linimentum contra paralysin (Gördens.)

Rp. Phosphori scrup. duos

Solve in

Olei sabinae unc. semis

Liquor. ammon. caust. unc. duas

M. f. l. a. linim. D. S. zum Einreiben.

Cataplasmata.

§. 111.

Cataplasma (Bryhumfschlag) est compositio ex substantiis medicatis, consistentiam referens pulpa inter linta strata parti adfectae calida aut frigida imponenda. Dividitur in coctum et crudum.

Catapl. coctum obtinetur, dum materiae incoquendae: herb. flor. sem. pulv. farina, nec non extracta, tinct. et similia ope fluidi uti: aq. lac. cerevis. acet. ol. . . (accessorio nunquam addito) ad consistentiam cataplasmatis incoquuntur.

Catapl. coct. contra hordeolum. (Richter)

Rp. Herb. cicutae unc. unam semis

— hyosciami

Farinae sem. lini aa. unc. semis

C. m. et coq.c. lactis suf. q. ut fiat

Catapl. sig. Stündlich lauwarm aufzulegen.

§. 112.

Catapl. erudum ex pulveribus mollibus et liquidis constat, quae in pultis speciem absque calore miscentur. Recipiuntur elect. roob. sapones, fermentum et mica panis. . . .

Huc spectat sinapismus (Senfumschlag) ex fermento panis, aceto et farina seminum sinapeos in pastam reductus, adhibetur qua optimum phoenicisticum.

Sinapismus fortior.

(Himly)

Rp. Pulv. sem. sinap. nigr. unc. unam semis
 Euphorbiae dr. unam
 Salis ammon dr. duas
 Fermenti panis dr. sex
 Aceti vini optimi q. s. ut
 fiat sinapismus.

Collyrium.

§. 113.

Collyrium; aqua ophthalmica (Augenwasser) nil aliud est, quam bene percolata infusa, decocta, mixturae, solutiones, emuls. . . . plerumque cum mucilagine sem. cydonior. (unc. semis ad aquam destillatam unc. quatuor — sex) praescribitur, ast ubi ingrediuntur merc. corros. extr. saturni . . . potius gummi arabicum electum (gr. quindecem — viginti ad unc. unam aquae destillatae) sumitur, quum metallia Cydon. decomponat.

Collyrium contra Blepharospasnum.
(Conradi)

Rp. Aq. Goulardi
 — Rosarum aa. unc. duas
 opii puri gr. octo
 M. D. S. mit Compressen aufs Auge
 zu schlagen.

§. 114.

Ejusdem indolis sunt Collutorium et Gargarisma (Gurgel- Mundwasser γαργαρεων Zäpfchen) v. g.

Rp. Tinct. pimpinellae
 Oxymel. squill aa. dr. quatuor
 Syrup. senegae unc. unam
 Aq. salviae unc. sex
 M. D. S. Gurgelwasser.

Epithemata humida.

§. 115.

Epithema, fomentum humidum, fomentatio,
 (nasse Wäbung) Lotiones, (Waschungen) Injectio-
 nes, (Einspritzungen) sunt decocta, infusa, solutio-
 nes, mixturae similesque hujus prosapiae species,
 quae ad varium usum, calide aut frigide intra lin-
 tea strata aut spongia imbuta, ad lotiones illinitio-
 nes, cutis plagae aut cavo alicui, fistulae, ulceribus
 etc. per siphonem injectae, adplicantur.

Clysm a.

§. 116.

Clysm a, Clyster, Enema (Klystier, Lavement)
 est quoque injectio intestino recto per anum adplican-

da. Quantitas generalis varia est pro varia aetate, sensibilitate, morbo et Medici indicatione. Respectu aetatis sequens proponitur scala: pro recens nato sufficit enema: ex unc. duabus; pro infante provectioni: unc. tres — quatuor, pro puer: unc. sex — septem, pro adulto: unc. octo — libr. una.

Quo major sensibilitas, totius corporis et intestini recti, eo minor dosis. Clyster diutius semper retinendus minori dosi (medium aut infra dimidiam partem) prascribitur; cavendum praeterea ne nimis calidum adplicetur.

Clysta contra ascarides infantum. (Kopp)

Rp. Pulv. sem. santon. dr. duas

Inf. aq. fervid. q. s. per $\frac{1}{2}$ hor.

Colat refrigeratae unc. un duar. et semis
adde

Mercur. subl. corros. gr. $\frac{1}{2}$

Mucilag. g. arab. dr. duas

M. D. ad vitrum. sig. Lavement.

Lauwarm zu appliziren.

B a l n e a.

§. 117.

Hic non agitur de balneis in genere, sed de ingredientibus solum medicatis, quae illis et illorum modificationibus adduntur.

Balneum dividitur in integrum (ganzen); semicupium vel insessum (halbes), pediluvium (Fußbad) maniluvium (Handbad).

Quoad temperaturam in frigida, tepida, calida, et fervida. Inter frigida numeratur: aspersio (Spritz-

bad) impluvium, (Sturz-Regenbad) stillicidium (Tropf-
bad) gutta seu Tuccia (die Dusche).

Ingredientia sunt acida, spiritus, sales, uti sal
marinus, ammoniacus, vitriolum ferri; sublimatum,
alumen; vegetabilia complura prius cocta: furfures,
malthum, herbae aromaticae. e. s. p. Quantitatem de-
terminare, ubi circumstantiae innumerae respiciendae
sunt, Medico cuique circumspecto relinquendam cen-
seq.

Balneum contra Arthritidem. (Kopp)

Rp. Herbae digit. purp.

— Rhododendr. Chrysanthem.

— aa. unc. quinque

— Hyosciami

— Cicutae aa. unc. tres

— Sabinae unc. sex

C. C. M. f. pulv. grossus D. S. zum Baden.

Fluida elastica s. expansibilia

§. 118.

Quae formam fluidam expansibilem admittunt cor-
pora medicata sub vaporis aut aëris specie in usum
medicum vocantur. Fluidum hoc ex solidis aequa ac
fluidis gnttibus evolvitur vel per majorem caloris
gradum, vel ope adminiculorum chemicorum.

Forma vaporum.

§. 119.

Solida corpora plerumque calefacta ad suffiendum
adhibentur, odoris gratia, aut aëris purgandi causa;

ejusmodi sunt sulfur, herbae narcoticae et aromaticae, cinnabaris, resina et s. p., quae in Pharmacopoliis varia proportione confecta jam parata, tenentur. Adhibentur hae species ad balnea quoque vaporaria (Dampfbäder); organis respiratoriis ope machinae Mudgiana optime applicandur. In designatione species aut pulveres etc. justo ordine, et quantitate ordinantur, quam signatura usum quemlibet speciale denotans, excipit.

§. 120.

Fluidum permanenter expansibile obtinetur, ad miniculis chemicis, adjuvante nonnunquam caloris gradu. Adhibetur vel qua medicamentum, in variis morbis, vel ad destruenda contagia et miasmata, aërem contaminantia, vel qua balneum topicum, aut universale, vel cavo cuidam, ulceribus, partibus gangrenosis etc. applicantur.

§. 121.

Huic scopo respondent gas oxygenium, g. acid. carbonicum. acid. nitrosum, muriaticum, oxygenatum, hydrothionicum seu hydrogenium sulfuratum etc. Pro fortiori hujus formae evolutione varii adparatus cum fructu in auxilium vocantur.

§. 122.

Scriptio formulae legibus chemicis regitur; Signatura præparationis modum, vas suscipiens, nec non usum desideratum exacte definiendum habet.

Räucherungen mit oxyg. Salzsäure nach
Guyton-Morveau.

A)

*Rp. Natri muriatici scrup. decem
magnesii gr. viginti quinque
m. f. pulvis. Dent. tales. dos. Nro sex.*

B)

*Rp. acidi sulfurici concent. scrup. quatuor
aqua destill. scrup. duos
m. Dentur tales Doses Nro sex. ad vitrum.
Sig. Auf jedes Pulver A. ein Fläschchen B
gegossen in eine porzellanene Untertasse.*